QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXXI. IANVARII,

M. PETRO RICHER Doctore Medico Moderatore.

An Dysenteriæ serum lactis salutare? 825

QVEMADMODVM dissimilis intestinorum coagmentatio est, sic non omnia vni eidemq; muneri seruiunt; alia cibos conficiunt tum primùm illapsos è ventriculo, belléque subactos jecori mandant: alia nauant operam reliquijs alimenti continendis exturbandísque, siquando copiâ alióve nomine naturam lacessant atque exstimulent. Vtriusque officij ratione varijs morborum molestijs affliguntur; colico dolore, qui specie nephritidis quandoque illudit; cholerâ numquam febris experte, in qua susdéque reijcitur bilis; ileo, qui interclusâ excrementorum viâ, fœcibus ipsis per ventriculum exitum parat; lienteriâ, diarrhœâ, dysenteriâ, inter quæ symptomata hoc maximè interest, quod in læuitate intestinorum cibi ἄσηπτοι, nullisque impressi vestigijs coctionis in aluum præcipitantur. Diarrhœa sinceros humores per laxas atque patentes intestinorum vias effundit. Dysenteria ab ægra parte id nominis adepta, nonnihil etiam cruoris deijcit.

DYSENTERIÆ multiplex ratio atque modus esse perhibetur: enimverò qui sanguis ex aluo prodit, interdum ab hepate manat optimè de natiua temperie constituto, graue onus quâ decet, quáque viam natura regit excutiente; atque ista quidem dysenteria mutilis est perquam salutaris & familiaris maximè, si præsertim lautis epulis delectentur, neque vllam partem de suo demenso deduxerint; sed periculo vacat omnique morsu doloris, bidui aut tridui est, deinde desinit. Capitalior altera, cujus parens est depopulatio & σύντηξις visceris adornando sanguini præpositi: rubram proluuiem in intestina deponit sine vllo sensu doloris: interdum simulat fugam, & quasi pactis inducijs conquiescit; mox ægrum affligit excruciátque vehementiùs, donec tandem illum labefactato jecore, euersísque omnibus naturæ præsidijs de vita sustulerit. Tertiam parit dysenteriæ speciem hæmorrhois suâ sponte patefacta, è qua sanguis impurus stillat in recti intestini capacitatem, indéque concretus & nigrior quàm satis est, vnà cum superuacuis alui eliminatur.

AT quæ κυρίως appellatur dysenteria, ea sanguinis per aluum profusio est cum intestini exulceratione conjuncta, nec sine immani cruciatu doloris. Hæc per crassa tenuiáque intestina grassatur, ac in tenuibus quidem sæpiùs acerbiúsque crudelitatem expromit suam: crassis placatior est, in iisq; rariùs excitatur: sollicitatur æger assidua desidendi cupiditate, atque vt omnia faciat, priùs animam efflauerit in ipso conatu alui exonerandæ, quàm pestem depulerit imis conceptam visceribus: quippe nil excernit præter mucum fœdum insigni graueolentiâ, eúmque pauco cruore aspersum: Interim effrænis humor, auctor sæuissimi symptomatis cuniculos agit, hæret intestinis apprimè tenax, séque in ea insigens altiùs, quasdam dolorum faces admouet, siue ille ichor est biliosus, siue ex salsa & putredine contaminatâ pituitâ ortum habuit; siue ex inflammata sanguinis fœce in atram bilem degenerauit. Porrò sanguinis ipsius benefica vis est, neque potest vnquam tam atrox támque infensus esse naturæ suauissimus humor, vt per sese dysenteriam procreet.

LACTE, si vtilitatem spectes, nullum fructuosius; si saporis gratiam, nullum jucundius alimentum est hominum generi à natura datum: neq; solùm ad victum, & ad robur corporis valet, sed etiam ad propulsanda morborum grauissimorum incommoda. Hoc vno vitam & spiritum ducunt ij, quibus corpus exulcerati pulmonis contagione afflatum miserè contabescit: Illud verò sanguis est, insitâ vi mammarum adornatus, conflatúsque partibus diuersæ atque inter se pugnantis naturæ, sero, butyro & caseo. Serum vi frigoris eximia atque insigni partium tenuitate pollet, ad abstergenda vlcera præstantissimum est, pingues efficit homines, nitidos benéque habiti corporis. Butyrum caloris moderatione viget. Caseus cum terra temperamenti societate deuinctus est. Lac διὰ κοχλάκων apparatum, ineunte dysenteria exhiberi nequit citra noxam: nam & jecur inflammat, & vlcus in intestinis conceptum magis magísque exasperat: contrà, serum lactis siue potum siue admixtum enematis fuerit, recreat dysentericos spe salutis exploratæ.

OMNIVM grauissimè peccant in rem ægrotantium, qui aut adstringentibus dysenteriam coercere student, aut pinguibus incrustare atq; munire intestina aduersus biliosi seri morsus acerrimos. Huius teterrimi mali profligandi ratio hæc ineunda: prima hepatis & mesenterij cura esse debet, intestinorum vix vlla; habenda tamen est ratio doloris, qui si exarserit acriùs, demulcendus epicerasticis; his nisi leniatur, eritne sapientis ad narcotica confugere? Hepatis feruor egregiè temperabitur inditâ præstanti victus ratione, crebra detractione sanguinis, catharsi perblanda subinde repetita: excutiendæ expurgandæque latebræ omnes venarum mesaraïcarum quæ sordent illuuie multa, & impuritatem istam calamitosam intestinis expuunt. Hâc sentinâ exhaustâ non est quod de vlceratis partibus redintegrandis Medicus magnoperè laboret; vlcus enim natura nullis adminiculis artis, cicatrice obducet: verùm, cùm omnia ratione animóque lustraueris, nullùm inuenies præsidium quod cum sero lactis conferri possit. Hoc accensum hepar eximiè refrigerat, furenti bili frænos iniicit, tenuitate sua peruadit expeditè viscerum nutritiorum ductus, ex iisque sordium reliquias eluit, vrinæ vias aperit atque explanat, per quas humoris morbum committentis euacuationem molitur, vlcus absterget, atque ita dysentericos cumulat bonis omnibus.

Ergo Dysenteriæ serum lactis salutare.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE FEBVRE, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hugo Chasles.	*M. Claudius Seguyn. Prof. Reg.*	*M. Petrus Beaurains.*
M. Nicolaus Heliot.	*M. Ioannes Baptista Ferrand.*	*M. Ioannes Texier.*
M. Ioannes Vacherot.	*M. Simon le Letier.*	*M. Robertus Tulloué.*